

DEUS, qui humanae substantiae dignitatem mirabiliter condidisti, et mirabilius reformasti: da nobis per huius aquae et vini mysterium, eius divinitatis esse consortes, qui humanitatis nostrae fieri dignatus est particeps, Iesus Christus Filius tuus Dominus noster: Qui tecum vivit et regnat in unitate Spiritus Sancti Deus: per omnia saecula saeculorum. Amen.

LAVABO inter innocentes manus meas: et circumdabo altare tuum, Domine.

UT audiam vocem laudis: et enarrem universa mirabilia tua.

DOMINE, dilexi decorem domus tuae: et locum habitationis gloriae tuae.

NE perdas cum impiis, Deus, animam meam: et cum viris sanguinum vitam meam.

IN quorum manibus iniquitates sunt: dextera eorum repleta est muneribus.

EGO autem in innocentia mea ingressus sum: redime me, et miserere mei.

PES meus stetit in directo: in ecclesiis benedicam te, Domine.

GLORIA Patri, et Filio, et Spiritui Sancto.

SICUT erat in principio, et nunc, et semper: et in saecula saeculorum. Amen.

INITIUM
SANCTI EVANGELII
SECUNDUM IOANNEM



IN principio erat Verbum, et Verbum erat apud Deum, et Deus erat Verbum. Hoc erat in principio apud Deum. Omnia per ipsum facta sunt: et sine ipso factum est nihil, quod factum est: in ipso vita erat, et vita erat lux hóminum: et lux in ténebris lucet, et ténebræ eam non comprehendérunt. Fuit homo missus a Deo, cui nomen erat Ioánnes. Hic venit in testimónium, ut testimónium perhibéret de lúmine, ut omnes créderent per illum. Non erat ille lux, sed ut testimónium perhibéret de lúmine. Erat lux vera, quæ illúminat omnem hóminem veniéntem in hunc mundum. In mundo erat, et mundus per ipsum factus est, et mundus eum non cognóvit. In propria venit, et sui eum non recepérunt. Quotquot autem recepérunt eum, dedit eis potestátem filios Dei fieri, his, qui crédunt in nómine eius: qui non ex sanguínibus, neque ex voluntáte carnis, neque ex voluntáte viri, sed ex Deo nati sunt. **ET VERBUM CARO FACTUM EST**, et habitávit in nobis: et vídimus glóriam eius, glóriam quasi Unigéniti a Patre, plenum grátiae et veritátis.